



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ  
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos  
instructa**

**Busaeus, Johannes**

**Moguntiae, 1608**

R.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)

Galat. 6.1.

indigere auxilio ad superandam pusillanimitatem. Apostolus enim in epistola ad Galatas omnes, qui spirituales sunt hortatur, ut in hoc genere officium caritatis præstent. *Fratres, inquit, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis, huiusmodi infirmitate in spiritu lenitatis, considerate ipsum, ne et tu teneris. Quo loco S. A. V. C. Nihil sic probat spirituales removere peccati alieni iracundia cum liberationem eius potius, quam insultatione, potiusque auxilia, quam conuitia meditatur, et quantum facultas tribuitur suscipit.* B. Pauli merito consentit B. GREG. in Pastoralis. *Tales sese, inquit, qui præsumi excedunt, quibus subiecti occulta quoque sua pandere non erubescant, ut cum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad sinum matris recurrant: et hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, et leuiter orationis lauente. Remedium hoc præscribit B. A. V. C. in epistola ad Paulinum, & S. BASILIUS in oratione de renunciatione & abdicatione.*

Aug. ep. 250.

VIII. R E M E D. Consideratio illustrium exemplorum, hoc est, sanctorum fortitudinis & constantiæ laude illustrium, qui omnium pusillanimitatem ab animo suo excluderunt, ut fuit S. Iob, pueri Machabei, Paulus, Stephanus, S. Agnes, Laurentius, quorum robur eleganter describit A. M. B. libro primo officiorum à capite 35. vsque ad 41. & alii innumera- biles Confessores & Martyres, quorum res gestæ existant,

V I D E V. *Conscientia scrupulosa. Desolatio spiritalis. Illusiones spirituales. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inconstantia. Timor humanus. Tristitia.*



## R

## R E C I D I V A P E C C A T O R V M.

*Remedia aduersus Recidiam.*

**R** I M V M Remedium. Considera sacrorum Bibliorum sententias à Spiritu sancto dictatas: è quibus primo illa occurrit Salomonis. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* Quam B. P E T R V S in altera epistola detorsit in eos, qui ab agnita semel veritate in pristinos errores relapsi erant, dicens. *Contigit enim eis illud veri prouerbii. Canis reuersus ad vomitum*

ROU. 14. 7.  
2. PET. 2. 22

vomitum & sus lota in volutabro luti. IEREMIAS in Dei persona his verbis alloquitur populum Iudaicum. Ecce ego iudicio contendam tecum eo quod dixeris. Non peccaui. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? Et Christus apud B. Matthæum. Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, querens requiem, & non inuenit. Tunc dicit reuertar in domum meam, vnde extui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornata. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum ne quiores se, & intrantes habitant ibi, & sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Et apud Ioannem dixit paralitico, Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et mulieri in adulterio deprehensæ. Vade, & iam amplius noli peccare. Deinde apostolus ad Hebræos ita scribit. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cælestis, & c. prolapsi sunt, rursus renouari ad penitentiam. Et paulo post. Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima.

Matth. 12. 34.  
Luc. 11. 24.

Ioan. 5. 14.  
Ioan. 8. 11.

Heb. 6. 4.

II. REMED. Considera Sanctorum Patrum pronuntiata. B. CYP. lib. de disciplina & habitu Virginum. Sospitantis Domini verba sunt, & docentis, curantis pariter & mouentis. Ecce, inquit, sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, Dat viuendi morem dat innocentia legem, postquam contulit sanitatem, nec habentis liberis & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius, quibus sanatus fuerat, mancipato, grauius comminatur; quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cum necdum nosces disciplinam Dei, nulla sit venia vltra delinquere postquam Deum nosse cepisti. Nullam autem veniam, vt bene monet Pamelius in scholiis, peccantibus relinquit, quia satisfactionem longam requirit. S. HIER. ad Furiam. Egessisti acescentes & morbosos cibos, relesasti astuantem stomachum: quid vis rursus ingerere, quod tibi noxium fuit? Canis reuertens ad vomitum & sus lota ad volutabrum luti. Bruta quoque animalia, & vage aues in eas, em pedicas, retiaque non incidunt. D. CHR. Y. in Matthæum. exponens verba illa. Tunc assumit septem alios spiritus. Hæc, inquit, non ad ipsos solum, verum etiam ad nos dicta credamus. Nam si diuina luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, rursus ad eandem malignitatem reuertimur, gratior punitionis nos profecto expectabit: ideo Christus paraliticum quoque admoebat, dicens. Sanus iam factus es, noli ergo amplius peccare, ne quid peius tibi eueniat. Sed quid peius, inquires, illi accidere poterat, qui 38. annos agrotus iacuit? Multa profecto peiora & grauiora diuturno illo morbo possent exogitari. Vriamque tot tantaque nobis accidant, quot quantaque pati possumus. Magna enim punitionum apud Deum copia est, licet per ineffabilem eius misericordiam iusta eius ira clementer mitigetur, quod ad Hierusalem per Ezechielem dicit. AVG. libro 50. Hom. Qui iam mortuus est carne, desinat peccare, vt iam non hominum desideris, sed voluntate Dei reliquum in carne viuat. Sufficiens enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse in libidinibus, & voluptatibus & commestationibus,

Ioan. 5. 14.

Hier. ep. 10.

Chry. hom. 4.  
Matth. 12.  
Ioan. 5.

Ezech. 16.  
Aug. hom. 20.

potatione, & nefandis idolorum seruitutibus. Sufficit enim præteritum tempus loci operibus peccatum, tanquam Aegyptiorum dominatione seruasse. Et infca. Deest lani, auerfamini canes conuersos ad vomitum suum: detestamini & auerfamini mandam & vacantem domum quo ne quietores alij spiritus septem ad. lantur, vt sint nuda, sima hominis peiora, quam erant prima: vos vestrum mundatorem tenete habitatorem.

**S. GREG.** tertia parte curæ Pastoralis. Admonendi sunt, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt considerare sollicitè sciant, quia stendo inaniter mundant, qui uendo se nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant. Hinc enim scriptum est. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lotus in volutabro luti. Canis quippe cum vomit, profecto cibum, qui pelus deprimebat, proicit: sed cum ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam de qua malè satiati fuerant, & qua mentis intima deprimebat, confitendo proticiunt, quam post confessionem dum repetunt resumunt. Sus verò in volutabro luti cum lauatur sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen diuina penè grauiori culpa se subiciit: qui & ipsam, quam stendo potuit impetrare veniam contemnit, & quasi in luto aqua semetipsum voluit, quia dum sletibus suis vana munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsa etiam lachrymas facit. Hinc rursus scriptum est. Ne iteres verbum in oratione tua. Verbum namque in oratione iteratum est, post sletum committere, quod rursus necesse sit flere. Hinc quoque per quendam Sapientem dicitur. Quid prodest, si baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Baptizatur quippe à mortuo qui mundatur sletibus à peccato: sed post baptismum mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. **S. BERN.** in Cantica. Si dixerit mihi **I-E-S-V-S**, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profici? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, nunquid aliquid lauisse valebit? Sordet omni genere vitiorum iacui illi in luto factis: sederit sine dubio recidens quam iacuit deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor. Ecce sanus factus es. Vade, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Qui autem de illa voluntatem penitentiæ, opus est vt addat & continendi virtutem ne iterum penitentiam faciam, nouissima peiora prioribus **PETRVS BLESSENSIS** de Confessione Sacramentali. Propositum penitentiæ, ait, per seuerantiam comitetur. Quid enim omnia prædicta prodeunt penitenti, si ad vomitum reuertatur? Verbum Sapientis est. Vana edificans, & vnus destruens, quid est nisi labor? Ita & qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid profuit ei lauatio? Verbum Augustini est. Inanis est penitentiæ, quam sequens culpa coinquinat. Vultus iteratum sanatur tardius, sic lugens & peccans veniam non meretur: nihil profunt lamenta, si replicantur peccata: nec valet de malis veniam poscere, & mala denuo iterare. **Gregorius.** Qui admissa plangunt nec tamen deserunt, sed inaniter mundant, & nequiter inquinant, idcirco lacrymis se lauant, vt mundi ad sordes redeant.

**III. REMED.** Considera, quam periculosa sit recidiva peccati, maxime

le. h. 1. 1. 1.

Gre. admon. 31.

Prou. 26. 11.  
3. Pet. 1. 22.

Eccl. 7. 15.

Eccl. 34. 30.

Bern. serm. 3.

Ioan. 9.

Eccl. 34. 28. &

e. inanis dist. 3.  
de Poenit.

Greg. l. 6. 1.

lethalis, idq; ex triplici capite. Et primo ex parte DEI. Nam vt probat B. Cyp. ad Quirinum. *In βασιλείω primo dicitur. Si delinquendo peccet vir aduersus virum orabunt pro eo Dominum; si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?* Et Paralipomenon. *Deus vobiscum est, dum estis vos cum ipso: si dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et paulus in epistola ad Corinthios prima. *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Hæc ille. His testimoniis consentit illud Ecclesiastici, *Item eadem peccans, quid proficit humiliando se? Orationem eius quis exaudiet? Et illud Dei apud Ieremiam. Quis miserebitur tui Ierusalem, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? tu enim me dereliquisti, dicit Dominus, retrorsum abiisti.* Causa autem huius periculi ex parte Dei est Ingratitudo, quæ aggravat peccata eorum qui eodem sapius relabuntur. Cum enim iuxta Christi dictum, *Cui plus dimittitur, plus deliquit.* profecto, cui plus dimittitur, si offendere pergat, plus per ingratitudinem peccat. Quod & illa parabola apud Matthæum docuit, qua conseruus, cui Dominus roganti decem milia talenta remiserat, statim conseruum propter centum denarios in carcerem coniecit. Vbi Dominus eidem ob summam ingratitudinem hoc factum demonstratam dicit. *Serue nequam omne debitum dimisit tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misericonfererui tui, sicut & ego tui miser ius sum?* Et iratus Dominus eius tradidit eum tororibus, quoad usque redderet vniuersum debitum. SECUNDO, periculosa est Recidiua ex parte Dæmonis. Sicut enim Magistratus captiuum incuria custodem è carcere forte elapsum, summo studio connititur in vincula retrahere, retractumq; arctius vigilantiusq; custodit: sic dæmon peccatorem semel è seruitute sua per sacram exomologesin elapsum & acrius persequitur, & captum vigilantius custodit, grauiusque infestat. Vnde apud B. Matthæum semel ex homine egressus, non inuenta requie dicit. *Reuertar in domum meam vnde exiui. Deinde assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, hoc est, maiori vigilantia in eo custodiendo vitur, ne respiscat, & ideo nouissima hominis illius, vt tibi subiungit Christus sunt peiora prioribus.* Eodem pertinet, quod de relapsis scribit B. PETERVS apostolus *A quo, inquit, quis superatus est, & seruus est. Si enim resurgentes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & saluatoris IESV Christi his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* TERTIO demum periculosa est ex parte Peccatoris. Primo, quia ex crebriore lapsu prauigignuntur habitus, ipsaque consuetudo. Quod expertus in adolescentia AVE in lib. Confessionum ita scripsit *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consue-*

Cyp. lib. 3. c. 27. &amp; 28.

1. Reg. 2. 25. 2. Par. 15. 2. 1. Cor. 3. 17.

Eccli. 14. 31.

Ier. 15. 5.

Luc. 7. 47.

Matth. 18. 30.

Matth. 23. 45.

1. Pet. 2. 10.

Aug. 8. confess.

c. 5.

rudini non resistitur facta est necessitas. Vnde fit. vt cum cæteris peccatoribus tantum incumbat onus expugnandi tres hostes, carnem, mundum & dæmonem, huic quartus quoque expugnandus veniat, nempe inueterata consuetudo. Quæ hoc expugnatur ægrius, quo mentem peccator quasi sopore grauius opprimit, vt minus antidorum admittat. Quemadmodum enim qui iuxta fabros ferrarios habitant, longo tempore illibus malleorum affuefacti nihil molestiæ percipiunt sic peccator post diuturnam consuetudinem, nullo sensu malorum, quæ in peccato luti, commouetur. Sicut in pestilentibus locis, inquit B. BASILLIVS sensum attritu aer latentem corporibus morbum intret: sic in praua consuetudine maxima nobis mala hauriuntur, etiam si statim incommodum non sentiatur. II. periculosa est, quæ peccatum, teste B. GREG. in Moralibus, quod poenitentia non diluit ipso suo prodeere mox ad aliud trahit. In isto enim iudicio omnipotens DEVS cor peccantis obuiat, vt precedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Vnde auctore B. HERM. Ezechielem, In Zacharia scribitur, Iniquitas sedere super talentum plumbi. Et in Exodi cantico dicitur. Dimeri sunt quasi plumbum in aqua violentissima. Graui enim pondere peccatorum premebantur, & loqui poterant. quasi onus graue graua sunt super me. Quo oneris vel ponderis lapsu, si sæpius iteretur, tandem anima dilabitur in contemptum, & ex contemptu in desperationem, hoc est, ipsam inferorum portam. Impius enim, inquit Salomon, cum in profundum venerit peccatorum contemnit.

IV. R E M E D. Considera exempla eorum, qui diuinitus ob crebrioribus lapsus puniti fuere. Primum est PHARAONIS regis Ægypti, qui post promissâ & fœdera de populo Dei dimittendo frequenter violata tandem cum vniuerso suo exercitu maris rubri fluctibus obrutus miserè perit. Vnde B. CHRYS. in Mathæum. Pharaon si confestim prima percussio fuisset admonitus, neque posteriores plagas habuisset, neque tandem cum eo tantus exercitus demersus perisset. Hac ideo dico, quia non ignoro multos etiam nunc in Pharaonis impietate viuere, & luto ac lateribus sibi obnoxios affligere. Qui non in rubro mari demergentur, sed in ignis pelagus in quo ignei fluctus montium instar erigentur. Secundum fit DAVIDIS regis Israhel, quem cum Dominus primum in vxore Yriæ peccantem solo pueri ex ea nati interitu castigauisset, postea repetito in numeratione populi grauiore lapsu multorum millium neco percussit. Tertium est regis ACHABI, qui cum prius ob sublatam vineâ Naboth ab Elia Propheta grauius increpatus fuisset, & poenitentia acta veniam à Domino obtinuisset, postea tamen in pristinam impietatem relapsus, eo quod Prophetam Michæam in carcerem compegisset, flagrantis belli tempore nutu diuino vita sublatus est. ADDAM exemplum recentius à S. BONAVENTURA in vita S. FRANCISCI Seraphici descriptum. Canonicus quidam post hanc vitam diuturno tempore turpiter & libidinosè actam

Bas. hom. 9.

G. lib. 15. c. 12.

H. lib. 7. c. 22.

Zach. 5.

Exo. 15.

Psal. 37.

Prou. 18. 9.

Exo. 15. 28.

Chry. hom. 44.

3. Reg. 12. 8.

3. Reg. 14. 9.

3. Reg. 21. 29.

3. Reg. 22. 34.

Pona. c. 11.

actam in grauem ægritudinem prolapsus fuerat. Eum S. Franciscus lecto affixum adiit, & postquam salutari Crucis signo consignasset, pristina valetudini restituit, hominemq; sedulo commonuit, vt deinceps à fæda illa viuendi consuetudine abstineret, nec ad vomitū aliquando rediret. At ille p̄x admōitionis oblitus, ad veteres impudiciæ fordes rediit, & cum in ædibus cuiusdam canonici forte cœnasset, tota ædium structura subito ruente, solus repentina morte, cæteris conuiuibus illæsis, extinctus est.

V. R E M E D. est Pœnitentia. Pto qua hæc tria tene documenta. **P R I.** Prou. 24. 16.  
 M V M est, vt quoties cadis, resurgas. *Septies enim, ait Sapiens, cadet iustus, et resurget.* Et Dominus apud Ieremiam. *Numquid qui cadit, non resurget?* Et Ier. 8. 4.  
 apud Ezechielem. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vita viuet, et non morietur.* Et Christus apud Matthæum. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* S. **C H R I** in Psal. 50. *Nolo excusationes mibi afferas, nola ignauiam præterendas. Peccasti? pœnitere. millies peccasti? millies pœnitere, hæc assidue infundo medicamenta.* B. A. V. G. in serm. de Tempore. Matt. 4. 17.  
 Nemo post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia diuina desperet. B. Chry. hom. 2.  
 Leo ad Theodorum. *Misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora desinitre, apud quem nullus patitur venia moras vera conuersio, dicente Spiritu Dei per Prophetam. Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* II. Documentum est, A. serm. 58.  
 vt quoties cadis, cito resurgas. Primò, quia nescis quamdiu sis victurus. Leo. ep. 91.  
 Vnde Ecclesiasticus. *Non tardes, inquit, conuertere ad Dominum, nec differas de die in diem. Subito enim venit ira eius, et in tempore vindicta disperdet te.* Vnde B. A. V. G. Eccle. 5. 12.  
*Verum quidem dicis, quod Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promissit, sed huic dilationi tuæ crastinum non promissit.* Secundo, quia, et si viuas diutius, tamen pro crastinatione ipsa in dies magis magisque iram Dei prouocas iuxta illud A. in Psal. 124.  
 Apostoli. *An diuitias bonitatis eius, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiæ te adducit? Secundum autem duritiæ tuæ, et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et reuelationis iusti iudicij. Dei.* III. Documentum est, vt nunquam desperes, etiam si in atrocissima crimina lapsus fueris, & sæpissimè relapsus. Nam Spiritus sancti apud Ezechielem vox est. Rom. 2. 4.  
*Impietas impij nõ nocebit ei, in quacumq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et Isaiam. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix de alba buntur.* Ezech. 33. 12.  
 Et in Psalmis. *Miserator et misericors Dominus patiens, et multum misericors. Suauis Dominus vniversis, et miserationes eius super omnia opera eius.* B. I. O. **C H R Y.** ad Isai. 18.  
 Theodorum lapsum. *Cane dicas, iis tantum venia locum concedi, qui modicè deliquerunt. Nam siuge, si lubet, aliquem vniversa malitia redundante, et patrarit oia, Psal. 145. 8.  
 quæ à regno excludunt, is vt demus non sit extra fidem, sed fidelis aliquando fuerit acceptusq; Deo, postea verò factus seortator, adulter, mollis, pœdico, fur, ebrius, calumniator, Chry. ep. 5.  
 siq; id genus flagitia sedulo cõmittat, equidè illi non ero desperandi auctor, etiam si per seuerasset*

uerasset in his flagitiis ad extremam usque senectam. Et infra. Tanta est Dei humanitas, et erga nos amor, ut nunquam auersetur penitentiam sincere factam, imò si quis ad malitia fines olim penetrarit, illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, et fugi-  
 pit redeuntem, et suauiter amplectitur, nihilque non facit, quo in pristinam dignitatem reformat. Quodque est maioris facilitatis argumentum, etiamsi non omnem profert penitentiam, breuem illam et exiguo tempore factam non abnuat, sed magna mercede compensat. Et rursus. Quamdiu enim hic sumus, etiamsi peccamus delectabilis, semper erit spei locus, omnia dabitur abluere scelera dignam exhibentibus penitentiam. Etenim non est cur alibi speremus penitentiam in inferno constituit, quia loco pharmacum hoc infirmum est. Unde diabolus omnem, quod aint, lapidem molis, quo in nobis altè radicem agat cogitatio desperationis, quoniam nouit, quamlibet exiguum penituerimus, nullo id pacto facturos irremuneratos à DEO. Cum Chryso-  
 stomo conspirat B. AUGUSTINUS in hæc verba scribens. Sed forte cogitas quis tam graui se admisisse peccata, ut iam Dei misericordiam promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicumque illam peccatorum multitudinem attendis, cur et omnipotentiam cælestis medici non attendis? Cum enim DEVS velit misereri, quia bonus est, et possit, quia omnipotens est, ipse contra se humana pietatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eum que aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. Et rursus. Donec sumus in hac vita, quancumque nobis acciderint peccata possibile est omnia abluere per penitentiam. Et S. BASILIUS in regulis breuioribus. Si fieri potest, inquit, ut multitudo miserationum Dei numeretur, et magnitudo misericordie vlla mensura comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeat ur sane si libet, desperatio. Si tantem hæc et magnitudine possint, et numero desinere. (misericordia autem Dei et miserationes, neque magnitudine vlla possunt, neque numero circumscribi) sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit: sed agnoscenda misericordia Dei, et commissa peccata detestanda, quorum condonatio proposita est in sanguine Christi, sicut scriptum est.

VIDE V. Consuetudo praua. Contemptus. Desperatio. Ingratitudo. Peccatum. Procrastinatio.

Aug. serm. 98. de  
Temp.

Id. serm. 181.

Basil. quest. 17.